DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

To Her Grace,
The Duchess of Devonshire,
with every sentiment of respect, and with
sincerest thanks for Her distinguished
protection and friendship, from her
faithful Servant, the Author.

Rome 30th November.
1817—

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE APOPLEXIA SANGUINEA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS MILN, A. M.

SCOTO-BRITANNUS.

Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας.

Pridie Idus Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,

Typis Joannis Moir.

1814.

VIRO ADMODUM REVERENDO

DAVIDI TRAIL,

ECCLESIÆ BALBRIDII,

IN AGRO ANGUSIANO

PASTORI.

NON MINUS INGENIO, ET VARIA DOCTRINA,

QUAM VIRTUTIBUS QUÆ GENUS HUMANUM ORNANT

INSIGNI,

OB MULTA BENEFICIA ACCEPTA,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

SACRAM VULT

ROBERTUS MILN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

AUCTORE ROBERTO MILN.

PRAEFANDA.

LUGENDUM est hominem, etiamsi varia et dira mala ab natura ipsa oriuntur, tamen intemperantia et mala vivendi ratione suo corpori multa alia quoque inferre posse; quae saepenumero cura idonea, maximeque vita temperate acta evitare potuisset. Ut homo animal solum a divino artifice ratione et ora-

tione donatur, a priore videretur haec dona divina satis esse ad mala futura edocenda, quae ebrietate et luxu nascuntur. Dira tamen experientia indoctus, praeceps in istas noxas irruit, quas perniciem secum laturus novit. Morbus, de quo sum scripturus, multis in casibus hanc originem habet. Infantes raro apoplexia plectuntur: barbari et minus docti qui vitam incorruptam sequuntur, qui edunt, et bibunt, et vitam agunt vitiis ignotam, rarius ea torquentur. Apoplexia nomen accepit ab Graeco ἀπὸπλήσσω, in Latino *percutio*, quia interdum subito et sine admonitu homines icit. Alia nomina, ut morbus attonitus, ictus sanguineus, dantur. Haec praefatus ad rem propositam redeo.

DE DEFINITIONE.

Cullenus apoplexiam classi *neuroses* et ordini *comata* subjectam definivit hisce verbis: "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore, plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum." Plures species subjecit; quarum praecipuae sunt Sanguinea, Serosa, et Traumatica.

DE SIGNIS ET FINIBUS.

Signa.

Haud raro homines aggreditur sine ullis notis praenunciis: tunc aeger ad terram projicitur. Sed plerumque indicia hujuscemodi adventum denotant; ut vertigo, dolor capitis, facies rubra, cursus sanguinis e naribus,

prava conjunctio verborum cum balbutione, visus et auditus depravatus; ut res duplices videntur, scintillæ micant, et memoria labitur, somnolentia et incubus invadunt, postea aeger ad humum projicitur. His peractis, sequentia occurrunt: sensus et motus voluntarius quiescunt, homo dentibus frendet, os spumat. Facies est rubra quamvis interdum livida, arteriæ caroticæ tument, ita ut aliquis possit videre pulsus complurimos pedes aegrotanti distans: pupilla dilatatur interdum cum spasmo, et oculi quasi ex orbitis prosulturi esse videntur. Pulsus est plenus, et tardus, et interdum validus, respiratio valde laboriosa cum stertore, et nausea et vomitus interdum adsunt: sphincteres ani et vesicæ resolvuntur, sudores gelidi sequuntur.

De Finibus.

In historia hujus morbi accidit apoplecticos a haemorrhagia vel vomitu spontaneo, vel sudore profuso, ex hoc morbo diro recuperasse; tamen hoc considerare debemus rarum. Et sane, cum sciamus constitutionem certam vel formam hunc ad morbum praedisponere, res quae non ullis medicamentis mutari possunt, non veritatem mirabimur. Et si aeger non in paroxysmo periit, saepissime in hemiplegiam illabitur. Cullenus loquens de finibus hujus morbi ait, 1122. "This disease of apoplexy is sometimes entirely recovered from, but more frequently "it ends in death, or in a hemiplegia. Even "when an attack of the disease is recovered "from, we generally find it disposed to return, and the repeated attacks of it almost "always, sooner or later, bring on the events "we have mentioned."

QUÆ CORPORE INCISO PATENT.

Cadaveribus apoplecticorum incisis, cerebrum quam plurima præter solitum ostendit. Vasa sanguinea capitis turgida inveniuntur; dum in aliis diruptio ipsa, et inde quantitas magna sanguinis in substantiam cerebri effunditur. Apoplexiam ab vasis turgidis oriri posse a multis negatur: sed in mea opinione vix dubitari potest: nam ab multis medicis celeberrimis haec opinio valet; inter quos nomen distinctum Morgagni apparet. Tamen nullus dubito quin plerumque ab effusione sanguinis accesserit. Baillie in Anatomia Morbida ait, arterias caroticas internas in senioribus esse valde morbidas, et eam affectionem saepe ramos parvos transire, et hoc vitium ex materia ossea constare in tunicis arteriarum disposita; unde vim se contrahendi et distendendi amittunt; etiam ac

tenacitatem. Igitur dum contractio et distentio ab morbo minuuntur, quantitas insolita sanguinis rupturam et effusionem excitat. Ab his, concludo compressionem cerebri ab vasis ultra naturam distentis aut diruptis, et munera nervorum impedientibus causam proximam hujus morbi esse. Quod si vasa nec multum intumescunt, nec dilacerantur, vix non tubera inveniuntur cerebrum opprimere.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES ET EXCITANTES.

Multi morbi ad hunc morbum praedisponunt, ut podagra, epilepsia, pertussis, &c. sed sequentibus causis proclivitatis potissimum insisto.

Caput Magnum.—Caput magnum majorem copiam sanguinis ad caput delatam

designat: quae si augetur ullis causis excitantibus, cerebrum comprimit. Caput magnum hominem ad apoplexiam procliviorem reddit, quia facit ut sanguis impetu in cerebrum a corde majore fluat; eo quod, quibus capita magna, iis colla breviora.

Ætas Provecta.—Hic morbus plerumque adest circa quinquagesimum vel sexagesimum aetatis annum, quia plenitudo venarum tunc occurrit. Juvenes raro eo implicantur, quia plenitudo arteriarum in juventute accidit: et distentio venarum plus quam arteriarum huic morbo favet.

Labes Hereditaria.—Ab natura vel fabrica corporis simillima inter parentes et filios, accidit apoplexiam saepe haereditariam esse videri.

Collum Breve.—Ab spatio parvo inter caput et cor, actio cordis major fit: et ulla exercitatio quæ motum cordis augeat, ita insolitam copiam sanguinis ad cerebrum

propellit. Dum si collum longum est, cor ab capite plus distat, et sanguis difficilius ad cerebrum ascendit; ex lege, qua omnia nutu suo deorsum feruntur.

Obesitas—Praedisponere dicitur, negando liberum reditum sanguini in vasis sub cute jacentibus, et ita fluctum per pulmones impediendo. Congestio inde in cerebro exoriatur necesse est.

Alvus tarda.—Bene cognitum est ex constipatione longa faeces induratas ita fieri, ut actio musculorum communis eas expellere non possit, donec augeatur potestas; et inspiratio longa necessario liberum circuitum per pulmones impedit; quod facie livida et tensione capitis vasorum et colli indicatur; ita in cerebro plenitudo excitatur. Apoplexia hinc saepe in forma dirissima oritur.

Ebrietas.—Ebrietas potentissima est noxa praedisponens et excitans, et fons est plurium malorum quae in societate oriuntur,

vasa sanguinea implet, etiam ab stimulo magno quem ad cor communicat, contractiones ejus citiores et validores reddit ; hinc quantitatem solito multo majorem sanguinis ad cerebrum mittit ; ut plane ab oculis rubris, naso livido et igneo, et super frontem et mentum maculis demonstratur ; quae omnia quisque indies in hac urbe inter ambulandum testari potest.

Aliae causae praedisponentes enumerari possunt, sed hae longe praecipuae et frequentissimae sunt.

CAUSAE EXCITANTES.

1. Quae augent impetum sanguinis ad caput.

2. Causae quae reditum prohibent.

3. Et omnia quae plethoram excitant.

I. De classe prima, exercitatio vehemens, motus animi, ebrietas, calor externus, praecipue digna sunt notatu.

1. Exercitatio vehemens.—Natura omnia animantia, fibris motricibus donavit, cum ad actiones interiores perficiendas, tum quoque ut hinc illuc se dimoveant, ad opes et utilitates exquirendas. Hae tamen quamvis modice exercitatae multum juvant, extra hos terminos graviter nocent. Motus enim

modicus corporis roborat, salutariter incitat, facit ut secernenda secernantur, et excernenda excernantur. Exercitatio musculorum tempestiva bona est; sed immoderata cordis et arteriarum motum accelerat: dum etiam vasa sanguinea partium vicinarum comprimit: ita insolitam sanguinis quantitatem ad cerebrum mittit, dum eadem compressione ejus reditum prohibet. Hinc vasa cerebri turgescunt, et cerebrum necessarie comprimitur. Sed dum consideramus, porro inspirationem longam, et celerrimam exercitationem, (quae semper obstat sanguinis a capite reditui) haec causa prominens fit, ad morbum propositum excitandum. Tussis, loquela longa et sonora, risus et fletus, instrumentorum musicorum inflatio, apoplexiam simili ratione provocant.

2. Affectiones mentis.—Salubres functiones sunt corporis, dum leges natura praescriptas sequimur. Dum animo imperamus, functiones omnes ejus et corporis rite aguntur. Sed mens cum ira intumescit, res mu-

tantur. Facies a placida fit ferox et livida; brachia ad offendendum elevantur, homo quatit, et fervet, et omnia praeter naturam incitantur. Hinc respiratio laboriosa, et actio aucta cordis, qua tandem reditum sanguinis per pulmones negat. Congestio tandem excitatur in dextro latere cordis; sanguis ibi stagnat, donec plenitudo tandem ad cerebrum extendat, et vasa sanguinea ita distendantur, ut cerebrum comprimatur, vel ab ruptura, sanguis in ejus cava effundatur. Nihil aliud opus est ad mentem perturbatam cognoscendam, nisi ut faciem et collum inspiciamus. Oculi quasi globi ignei volvuntur; fervent et tument, et eorum vasa exilissima videntur. Arteriae capitis valide micant, aures tinniunt; rubescit vultus. Depictio naturalis pathematis hujus ab Shakespeare datur: ut subjungo.

"When the blast of war blows in our ears,
Then imitate the action of the tiger;
Stiffen the sinews, summon up the blood,
Disguise fair nature with hard favour'd rage:
Then lend the eye a terrible aspect,
Let it pry thro' the portage of the head
Like the brass cannon, let the brow o'erwhelm it:

> Now set the teeth, and stretch the nostril wide;
> Hold hard the breath, and bend up every spirit
> To its full height.*"

Omnes motus animi incitantes pari ratione apoplexiam excitare possunt; veluti gaudium, libido, amor, imo vero subinde terror.

Ebrietas.—Liquores spirituosi in ventriculum ingesti magno ab stimulo motum cordis et arteriarum augent, temperiem corporis elevant, et multum genus nervosum perturbant. Motus voluntarios diminuunt et extinguunt, et hominibus robustis inferunt debilitatem senectutis, vel infantum puerilitatem: omnes fontes felicitatis exhauriunt, nobilissima facinora miseri devoti maculant, et dignitatem ejus frontis ad coelum destinati, obscurant; miserum in paupertatem abripiunt, valetudinem fractam et mortem maturam inferunt. Cum vero moderatione potantur, felicitatem fovent, et supra naturam communem homi-

---

* Henry V.

nem elevant, fortitudine et amore bonarum artium inspirant. Hi tamen effectus raró occurrunt, quia plerique sine moderatione iis utuntur. Ut dicitur Phoenix cineribus antecessoris oriri, ita apoplexia dira et mortua ab fumis magni et pleni Bacchi effluit. Quia hic morbus parum in regionibus cognitus est remotis, et quia certi sumus eum oriri posse ab ebrietate, licet adventum frequentem ad usum immodicum liquoris spirituosi attribuere, et invenio Dr Rush, in libro cui titulus, " Enquiry into the effects of spirituous liquors on the human body," eandem opinionem habere: barbarae igitur gentes, e natura vivere solitae, raró hoc diro morbo torquentur.

Calor externus.—Calor uti post tepidum balneum vel ebrietatem, mittendo majorem solito quantitatem ad caput sanguinis, saepe apoplexiam intulit. Et haud raro occurrit in coetubus magnis apoplexia, vel in aliis locis, ubi turba est magna. Ab Gregory et Home ab frigore oriri posse dicitur; fortasse

quia frigus omnia secernenda et excernenda reprimit, et ita sanguinis plus aequo ad partes interiores, ideoque ad cerebrum impellit.

II. Causae quae impediunt reditum sanguinis capite.—Apoplexia in hoc modo gignitur, ut dum homo capite prono jacet, interdum ut in legendo, vel ut histriones super capite stando. Ligaturae circa collum eodem spectant: igitur debent homines hanc formam cavere. Motus subitus (de Gregory) capitis sine corpore, ita hunc morbum inducit, diametras venarum jugularum diminuendo; unde congestio excitatur.

III. Quae plethoram excitant.—Plethora oriri potest multis ab causis; quales sunt diaeta plenior, vita sedentaria, quies animi et copia Bacchi, evacuationes suppressae, alvus nempe, urina, sudor, haemorhois, ulcus; et cutis ex improviso deflorescens.

DIAGNOSIS.

Ut alii cum apoplexia morbi in multis congruunt, ne unus existimetur esse alter, in paucis consilium est ea mala memorare, quae huic sunt simillima. Quia sine justa scientia naturae eorum, ratio medendi obscura erit—et multis ita in casibus mala dira oriri possunt, medici consilium contra et nisum. Oportet igitur apoplexiam a paralysi, epilepsia, syncope, hysteria, et ebrietate dignoscere.

1. A Paralysi.—Hi nihil sunt, nisi gradus morbi ejusdem, alter in casibus multis alterum excitans: paralysis plerumque apoplexiam sequitur. In apoplexia, sensus et motus voluntarius delentur; in paralysi, quidam motuum voluntariorum laeduntur, uti in hemiplegia, dum sensus parum mutatur. Ster-

tor in apoplexia occurrit, nunquam in paralysi: in prima pulsus est debilis, in altero validus et fere tardus.

2. Ab Epilepsia.—Sic distinguitur, musculi in epilepsia convelluntur, in apoplexia delentur. Aura epileptica plerumque epilepsiam antecedit, non in apoplexia adest, juvenes epilepsia aggreditur, senes apoplexia cadunt, pulsus in epilepsia est vix percipiendus et debilis, validus in apoplexia.

3. Ab Ebrietate ad dignoscendum, sequentia in memoria retineri debent. Medicus tentare debet, si anima vinum olet, et cognoscere quantum homo hauserit, et quae signa fuerint sub paroxysmi initio, etiam ac quamdiu perstiterit. Nam plerumque (Dr Thomas) ebrietas terminatur decem vel undecem horis: sed quod multum valet, ebriorum oculi luce contrahuntur, stimuli etiam ad corpus applicati eos ab torpore excitant, dum nulla medicamenta mechanica aut chemica in apoplexia possunt. Hogarth ait,

in ebriis, unius oculorum supercilium supra parallelum elevari: et scio hoc signum praecipuum esse, quo critici theatri de ebrietate bene acta judicant. Ego ipse in ebriis hanc singularem mutationem vidi: et si medicus bene omnes varias modificationes indicii hujus cognoscebat, facile ab apoplexia distinguere posset.

4. Ab Hysteria.—In hysteria globus hystericus, ut vocatur, praecedit paroxysmum cum sensu doloris circa flexuram coli, non in apoplexia. Foeminae etiam laborant, mares et plethorici saepius apoplexia afficiuntur. Paroxysmi flendi, et ridendi, cum profusione copiosa urinae limpidae comitantur hysteriam, dum oculi luce contrahuntur, non in apoplexia.

5. Ab Syncope.—Facies in syncope est pallida, et syncope ab defectu in cerebro sanguinis excitatur: rubra et ab nimia quantitate in apoplexia. Actio cordis et arteriarum facile in ultima percipiuntur, vix in pri-

ma, mobiles et debiles syncope subjiciuntur, senes et robusti apoplexia aegrotant.

PROGNOSIS.

Ut terminationem hujus morbi praesagiamus, naturam symptomatum considerare debemus. Si sensus parum mutantur et respiratio parum laesa et epistaxis aut sanguis ab venis haemorroidalibus subit, faustum est. Sed si aeger plethoricus est, et in annis provectis, et si haereditarium est malum, cum in addito sensus externi et interni maxime perditi, devorandi facultas multum impedita, et liquida in ore infusa per nares ejiciuntur, et os ad latus inclinatur; et si paroxysmi protrahuntur extra diem tertium, vel quartum, stertor nihil diminuitur; si saliva ex ore manat; si pyrexia subest, et durus et pulsus celer; si extremitates frigidae fiunt cum sudoribus gelidis, et faeces et

urina sine voluntate et cum convulsionibus ejiciuntur; si homo miser ob magnum dolorem manum saepe ad caput elevat, et omnia nihil valent remedia, sanitas non expectari potest, donec post mortem, oculos in iis regionibus beatis miser tollit, ubi stertor apoplecticus nunquam sonat.

RATIO MEDENDI.

Cum naturam hujus morbi consideramus, duo consilia medendi se medico offerunt.

Unum est tollere compressionem cerebri.

Alterum prohibere reditum vel accessionem morbi.

Missio Sanguinis.—Sed ante venæsectionem, medicus ponere aegrum debet erectum, et omnem compressionem ab collo vel capite removere: dum aer purus in cubiculum admittendus est, et nunquam esse calidus de-

bet, nec aeger multo panno laneo tegendus. His peractis ab aegro omnia irritantia removeri debent, et medicus, quam celerrime potest, progredi debet. Ad symptomata acriora mitiganda, princeps auxilium est sanguinis dètractio. Ut apoplexia ab compressione cerebri oritur, haec medicamenta, quae hanc compressionem removent, utilia sunt. Sanguis instanter detrahi debet, quod celerrime aperiendo venam jugularem efficitur, vel si arteriae temporales maxime turgidae sunt, ut sanguis facile detrahi potest, non alienum erit hanc arteriam quoque secare. Quod si difficilius esset aut parum tutum, vasa capitis ferire, ab brachio sanguis detrahendus est, et ab eo latere minus affecto, dum apertura debet magna esse, ut quam celerrime sanguis comprimens removeatur. Quantitas detracta ab signis pendet. Sed Dr HANNAY in Dissert. Ina. ita ait, " Sanguis itaque " cito et largé ex systemate detrahendus " est, grave in casu, puto circiter viginti, " viginti et quinque vel etiam triginta un- " cias tuto detractum iri et haec operatio,

" symptomatibus, haud levatis secundum " eorum valentiam aegrique vires, in ho- " ram vel duas vel citius repetenda est." Post venæsectionem generalem hirudines ad tempora applicari debent, vel ad occiput cucurbitulae. Sanguis detractus tunicam coriaceam albam ostendit.

Alvi Purgatio.—Quoniam purgatio alvi ad intestina humores impellit et ita eos minuit in capite, utile est auxilium. Cathartica in hoc morbo acriora debent esse, et etiam quae celerrime agunt, et non vomitum excitant. Cullenus ea dare jubet divisa et in intervallis. Sed si non agunt faeces removentur alvi ductione. Alvum ducere idoneum est, ubi aeger devorare non potest; sin minus, dantur Submurias hydr. et jalap. vel submur. hydr. cum colocyn. in pilulis. scammonia et gambogia etiam utilia sunt, dum haec dari non possunt, vel ab vomitu data, nihil juvant. Enemata, ut oleum ricini aut senna salibus mediis adjuncta, utenda sunt. Si haec minus valent, oleum terebinth.

datur, horum ope alvus plerumque vacuefieri, et vasa capitis exonerari, cerebrum expediri, omnia que signa mitigari possunt.

Emetica.—In hoc morbo fere nunquam concedenda sunt. Haud ignoro medicos plurimos, praesertim antiquiores vomitum elicere solitos esse, ad apoplexiam cum praecavendum, tum quoque fugandum. Hoc ipsum remedium non minus nocet, quam opinio ejus genetrix fefellit: ventriculus enim repletus non arteriam magnam premit, uti quidam aiunt; et vomitus, tantâ mole sanguinis, cerebri vasa distendit, ut inde aegro plurimum noceatur. Judico igitur apoplexiam sanguineam fere nunquam vomitum desiderare.

Vesicatoria.—Usus fere ab nullis medicis negatur; symptomata quia urgentia levant. Dicere non necessarium, caput ad cutem tondendum esse. Epispastica *tartritis antimoniae*, anteponenda sunt cantharidi; quia haec ultima stranguriam interdum excitat, etiam prima in actu celerior est. MONROIUS

Tertius in Academia nostra, magno cum beneficio in hoc morbo usus est tartrite antimonii.

Omnia stimulantia evitanda; qualia lux, calor, sonus, vinum, satietas. Caput erigendum; et vena saepius icenda, si signa postulent, et vires sinant.

PROPHYLAXIS.

Sublatis tandem indiciis malis, haud minus necessarium est a causis abstinere, et has omnes evitare, quae aut apoplexiam excitant aut proclivitatem gignunt. Quamvis medicus omni uti sapientia ejus debet, symptomata ad urgentia dum adsunt levanda, haud etiam minus debet, in praedispositis ab natura vel forma corporis morbo venturo occurrere. Id regimen pravum evitandum est, quod, si diu usurpatur, originem apoplexiae

certe dabit, vel prius affectis iterum morbum excitabit. Ægri etiam reverentia et animis gratis, medici praecepta servare debent, qui optimus est judex earum rerum, quae sanitatem promovent. Et si homines tempus recte et dulcia sanitatis aestimant, ea ad praescripta, se submittere debent, rigida quamvis, et ab duobis bonis optimum praeferre. Cibi opimi etiam ac liquores spirituosi, et motus animi violenti summo studio evitari debent.

Ante quae ad hunc morbum praedisponunt memoravi; nempe, collum breve, caput magnum, et habitus plethoricus, &c. Hi ita formati cibos, qui magnopere stimulant, fugere debent. Si cibus ex carnibus sumitur, parcus esse debet, et regimen antiphlogisticum sequendum, nempe victus e frugibus, lacte conjunctis, quae haud parum nutrimenti dant, dum non stimulant. Pro liquoribus spirituosis, bibendum est aqua vel cerevisiae tenuiores; quia leniter alvum solvunt, dum Gregorius edocet, liquorem cui nomen *spruce beer*, optimum esse; et igitur ii, divites

qui sunt, uti debent, quamvis in iis minus pecunia praeditis fons sincerus bibendus. Ut hic morbus ab dieta plena saepe cubantibus excitatur, evitari caenae debent vel parcissime sumi ; vel si consuetudo confirmata id negat, caena tenuis paucas horas ante somnum edenda. Etiam in iis ad hunc morbum proclivibus, solida liquidis anteponenda : et Dr. Mossman (in Medical and Physical Journal, Vol. IX. page 412,) ait, longam experimentiam veritatem ejus rei affirmare, et plethoram partum habere ab liquidis magis quam ab cibo animali. Nicotiana non assumi debet vel parcissime, et aeger haud minus cavere debet constipationem, ad apoplexiam evitandam, quae est causa princeps hujus morbi. Pro hoc munere diaeta vegetabilis debet, ut fructus maturi, lac et serum : et haec si non constipationem tollunt ulla purgantia, ut oleum ricini idonea sunt, vel sales medii ut phosphas sodae, sulphas magnesiae, vel supertartris potassae.

Balneum etiam sub forma imbrium non rite omittitur.

Hic morbus in praedispositis, ab exercitatione modica prohibetur. Haec tamen moderata esse debet, neque multum temperiem corporis elevans, aut respirationem accelerans, aut sudorem profusum excitans, ut ambulatio, in rheda gestatio vel equitatio ; et interdum in loco harum, frictio adhibetur.

Proclivis semper tegumenta habere debet, parum cincta, praesertim circa collum et thoracem ; neque tam crassa esse debent ut multum temperiem corporis augeant, et si vir est literarum, mensa scriptoria elevanda est, quo minus caput nimium pendeat, et corpore erecto studendum est. Quo vasa capitis depleantur, Setacea prope caput, ut collum, vel humerum, ponenda sunt. Agunt humores avocando ad partes, ubi inseruntur, et ita impetum ad cerebrum sedando, et vasa ejus deplendo. Si signa adsunt, quae apoplexiae adventum denotant, ante omnia san-

guis mittendus est: etiam omnia remedia quae per paroxysmum admoventur, ut Epispastica capiti imposita, Hirudines, &c. Sanguis detrahi debet ab vena jugulari vel arteria temporali.

Homines ad apoplexiam proclives somnum nimium et otium cavere, et in lectum caput elevare debent, quo minus vasa cerebri intumescant. Omnes aliae causae, quae impetum ad caput augent, ut ira, antea dicta, errhina, calor externus, vel inspirationes longae, evitandae sunt.

Qui igitur temporis beata amat, vel societatis solatia, qui morti praematurae vitam longam vult praeferre, qui cupit in sepulchrum mitti annis ingravescentibus, debet ea in animo retinere praescripta, quae ratio experientiae adjuncta, sigillo veritatis et justitiae insignavit.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag.	6.	*Lin.*	2.	*pro*	ostendit,	*lege*	ostenditur.
	—	—	11.	—	nullus,	—	nihil.
	9.	—	20.	—	plurium,	—	plurimorum.
	10.	—	8.	—	validores,	—	validiores.
	18.	—	2.	—	altero,	—	altera.
	22.	—	19.	—	detracta,	—	detrahenda.
	26.	—	20.	—	bibendum,	—	bibenda.
	27.	—	4.	—	caenae,	—	coenae.
	—	—	6.	—	id.	—	id.
	—	—	18.	*ante* debet *insere* esse.			